

III.

NEOVIDENSIS

Nro 48. (*Neovidensis* 1805. Nro 44.)

Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.

*Titus Flavius Alexandrinus salutem dicit
cuidam communitati Christianæ in mundo
superiore.*

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 14. Junii 1805. (Neov. 31. Maji.)

Perendie celebrabimus Pentecosten, seu diem
Divini Spiritus in terras delapsi memoria ve-
nerabilem, non igitur Spiritum, qui hodie-
rum regit orbem: Sed Spiritum, qui doctri-
næ Christianæ Magistros obumbravit; non
Spiritum, qui modo, quacunq; demum ra-
tionē, Philosophos discordes reddit; Verbo:
Spiritum, qui hominibus cælos aperit, &
non, qui iisdem post hanc vitam illos reclu-
dit. Talis dies digna est, ut recolamus me-
moriā beneficiorum, quæ Divinus Spiritus
adventu suo hominibus præstitit. Ille nos
suos fratres effecit, ad sequendam salutarem
doctrinam conjunxit, & media ostendit, qui-
bus possimus mentem nostram ab infelici con-
fusione, incolumem servare.

Dilecti Fratres! Spiritus mundi cavillabitur, me ad vos de Spiritu cœli palam scribere, carpit hoc meum propositum, & risu excipiet. Parum moror; ille omni felicioris vitæ spe, atque experientia, quam in examen vocare renuit, destitutus judicat se sibi ipsi tantum suæque prudentiæ debere fidere. Species quædam superbiæ occupat ejus intellectum, qui nullum se superius agnoscit imperium. Infelix conditio, quæ in tristissimum ducit interitum, quæ homines dissociat, atque infortunatum fratris loco non habet! Potestne quis in tali statu — semper felix permanere?

Hæc fraternæ caritatis dissolutio, & ut ita dicam, doctrinæ Christianæ profanatio, hæc disjunctio parit amorem sui, qui nec singularibus personis, nec Societati; nec communi ejus bono conducit. Omnes virtutes, quæ ex disciplina Christianæ Religionis ita utiliter, ac firmiter oriuntur, occidunt. Quilibet se metitur vel secundum divitias, vel munus, quod gerit, vel scientias, quibus gloriatur. Quare, si unice de statu, quem inde consequi necesse est, ad vos scribo, non tantum attingo debilitatem mutuæ caritatis, sed ipsum etiam interitum civilis virtutis, quæ vinculum mutuæ conjunctionis, mutui auxilii, & beneficæ connexionis conservat. Atque hoc profecto dignum est, ut semel in anno in memoriam revocetur.

Ex omnibus humani ingenii stultitiis, nihil magis abjectum reddit hominem, atque arrogantia. O homo! perpende tuam originem. Quid habes præ aliis in nativitate, in decursu vitæ, in morte? Non erasne involutus fasciis, uti infimus ex nobis? Non premuntne te necessitates corporis, uti miserrimum quemque? forte non morieris, neque putresces, quemadmodum vilissimus nostrum? Quod melius præ multis aliis habere potes, sunt tua facta, si tamen bona sunt, tua proposita, dilectio aliorum, & probitas. Hoc est summum, & optimum, quod ut homo, in nobiliore sensu hujus vocis habere, tibi que comparare potes. Te autem inflare, magnifice circumspicere, alios despiciatui habere, quod minus te sciant, quod aliter de rebus judicent, quam tu, quod te minus celebrentur, quod in tali statione, in tali munere, & statu, atque tu, non sint collocati — — O miser homuncio! scito te pejorem esse mancipio catenis alligato, tu enim incedis vinculus compedibus proprii amoris, & superbiæ — quæ te ad vilissimas, turpissimasque actiones inducunt. Metuendus es, minime vero amandus — — Maximum stigma, quod homini inuri potest, geris, nempe contemptum. Paupertas, ignorantia, error, mendosa consilia non sunt ab homine aliena, non sunt contemtionem digna — Deus has debiles vires, dummodo actuosæ sint, cum voluptate spectat, Superbum autem odio habet.

Sed etiam inflati in proximo versantur periculo incidendi in summam amentiam; Omnis enim contradictio facit eos furiosos, quapropter spiritu pauperrimi sunt, & abjectissimi, Deus eos permittit suis juribus excedere, putant enim se ejus opera non indigere. Unicum, & præcipuum hominis fulcrum est religio, quæ ex bono, humili, & pio animo proficiscitur. Sine hac homines cum omnibus suis scientiis consistunt in periculoso interitus præcipitio.

In affectum elati animi prolabantur plerumque etiam illi, qui se mere speculativis occupant scientiis; Hypochondria, & tumor eruditionis perturbat eorum mores: Quæprimum quis eorum errores exponit — vel assumptum Systema vellicat, ira effervescunt. Scientifici homines multo plures habent causas sibi attendendi, ne delirent, quam rudes; ea enim præditi sunt phantasia, lectione, & reminiscendi vi, quæ confusionem acceleret, præsertim si naturali rationi velint dominari.

O homo! unde tibi tantos sumis spiritus? forte ex scientiis, vel divitiis, vel munere, quo defungeris? probabilius somnias, tibi tuum familiæ nomen, tuam conditionem, tuam dexteritatem, tuum officium, vel quidcunque aliud, indulgere, ut te tuis fratribus offeras, illos despicias, teque insolentibus

gestibus spectandum præbeas, ubi rubore suffundi deberes, quod superbia intumescas, O si ipse posses tua vitia animadvertere, profecto tuas miseras actiones risu exciperes, vel illis illachrymareris. Res omnino mira, quomodo possit doctus animum in ambitionem flectere! Quod enim hoc faciant stulti, & quotidiana ingenia, notum est, fundaturque in imbelli, occulto, improbo, & abjecto sui amore, qui libentissime evanescit nimia gloria, ut alios omnes flocci habeat. Ita pueriliter agunt etiam sæpe celebrati viri de honore, & gloria, quibus capti, adeo cæcutiunt, ut parati sint ponere maxime ridiculas, sæpe scelestissimas, imo etiam vilissimas actiones, dummodo possint suæ arrogantiae litare, atque amoris proprio. Qui rem hanc attentius examinat, facile devenit in cognitionem, quam debilis, vana, mira, & perplexa res sit homo, cum primis tunc, dum vanitate, & gloriæ studio agitatur, dum a superbia, noctu diuque inquietatur, dum invidia omnia ejus consilia adeo perturbat, ut se hominem esse obliviscatur. Notatu digna occurrit observatio, quam jam multi extranei admirati sunt, videlicet stultitiam certis familiis esse propriam, & insaniam, ac stupiditatem integræ stirpi hæreditariam: Imbecillitatem hanc producit otium, ambitio gentilicia, opipara vivendi ratio, everio rei familiaris, occultum dedecus, atque animi ægritudo. Qui spiritum mundi noluit ob-

servare, illis hac de re plura dicere non ausi nisi secus ducendi forent per compita urbis, ut hanc veritatem manibus palpent.

O utinam spiritus Christianitatis omnes summos, & infimos illustraret! utinam ejus veritas ubique penetraret, omnium mentes illuminaret, & omnes homines regeret! Quanta tunc concordia, & charitas, quanta tranquillitas, & beatitudo mundum replet! Tu spe, atque animis inflate, qui tibi in certis caducis prærogativis, in divitiis, & dignitate, in victoriis, & jure fortioris, in gloria tuæ nationis complaces, quid sunt omnes istæ prærogativæ? transitoria nugæ; cruciatus, qui & alios, & te ipsum affligit; mane florens rosa, sed quæ vesperi marcescit; repetitio factorum, quæ frequentissime a plurimis antecessoribus per multa sæcula iterum producentur. Supremum Numen prospicit ex alto, & tu — periisti. Terrenæ reliquæ Alexandri Magni, Gingschani, divitis Cæsaris, & aliorum, qui suo superbo nomine orbem terrarum compleverant, evanuerunt, nec hoc scimus, ubi sint sepulti. Potens dextera Attilæ tandem sine viribus pendeat ex ejus corpore, quin potuerit amplius minari. At Dominus Cœli, qui nobis spiritum felicitis, vel infelicitis vitæ secundum merita nostrarum actionum misit, gubernat etiam hodie hoc universum, sicut ante multa sæcula, & gubernabit in æternum. Ejus bene-

ficia, & Spiritus nunquam interibit. Iste Spiritus in terras delapsus mirabiliter propagavit doctrinam, quæ voluntas Domini est; Nullum sit discrimen inter nationes, vel diversas Christianorum opiniones, venit enim ad inducendam unitatem, concordiam, & justitiam. Omnes Christiani sunt fratres, sive hanc, sive illam incolant regionem. Suam ille doctrinam, quæ de feliciore alterius vitæ sorte sonat, dilucide tradidit; Nos in hac ærumnosa vita, quæ felicissimo etiam miserrima est, viatores tantum agimus. Iste Spiritus nos beatos efficiet, si ejus doctrinam fuerimus amplexi, ejusque præceptis universi morem gesserimus. Ejus virtute videmus paratas nobis beatas sedes, in hac autem vita concordiam, & mutuum amorem; Ille nobis aperit æternas spes, quas tantum nomine Cælorum exprimere valemus. — *Cœli aperti sunt!*

BIOGRAPHIA.

Clemens (*Titus Flavius*) Alexandrinus, Philosophus Platonicus, Catholicorum dein castra secutus peculiariter colebat Pantænum, qui tunc scholæ Alexandrinæ præerat. Hunc ille diligenti apiculæ, ex floribus Præphetarum & Apostolorum mel paranti comparavit. A morte ejus A. 190 ejusdem scholæ Professor est renunciatus. Multos numeravit discipulos, egregios postea Magistros, in-

ter quos memorari merentur : Origenes , & Alexander Episcopus Hierosolymitanus . Diem obiit circa annum 220 .

Clemens erat vir doctrina liberaliter instructus , sine ordine tamen , & nexu scribebat , ejus etiam Stylus , si demas opus , quod de Pædagogo dedit , sapit negligentiam .

Publicatio.

Quod opus elapso anno Nro. 26 harum Ephemeridum sub titulo : *Stimulus Compunctionis* , & *Soliloquia* , annūciavi , illud auctum eximiis *cogitationibus Christianis* R. P. Bouhours e S. I. pro quolibet die mensis , in lucem publicam jam prodivit , impressum elegantibus typis , philyris 18 $\frac{1}{4}$. Qui igitur BB. Fautores nostri pro opere hocce jam prænumerarunt , illud indicata nobis opportuna occasione quandounque accipere poterunt . Alii vero , qui occasionem prænumerandi pro eodem non habuerunt , persoluto 1 fl. illud a quovis Bibliopola , aut a nobis ipsis comparare poterunt .

Posonii 1 Junii 1805 G. A. Belnay.

ANNUNCIATIO.

In eadem hac Typographiat recentissime excusum est , venaleque prostat opus eximium : *Svastics a' Magyarok 'Historiája* cum 3 Augg. Regum nostrorum : S. Stephani , Matthiæ Corvini , & Francisci II. elegantissime aeri incisis iconibus , in 8. maj. Vol. 3. a 5 fl. icones hæ etiam separatim haberi possunt a 30 xf. quæbet .